

248 DECADIS SECUNDÆ

1296 aliquanto etiam minore navium numero congressi, Genuen-
sium vires pene in perpetuum fregere. Nec illud excide-
rat, quotiens eo bello Genuensis (qui tanto strepitu tum
pugnam cieret) Venetorum occursum turpi fuga declinaf-
set: aperte prædicare, hostes non suarum virium fiducia,
aut quia Venetam virtutem ignorarent, id facere, sed per-
tinacia quadam genti innata, quæ per æqua & iniqua eam
præcipitem ageret: certo scire se, Ligusticam terram non
tam cito diversum genus hominum tulisse ab iis, quos pau-
cis ante annis totiens fugassent, ac pene ad interacionem
non una strage perduxissent. Contra Ligur indigne ferre,
quod nonnunquam primo Ligustico bello Venetis cessisse
videretur: cæterum stimulabat recens dolor injuriæ in Pon-
to biennio acceptæ. Sed nihil erat, quod eos ferociores
redderet, quam quod per id tempus Pisanorum opes ita
fregerant, ut nihil tam potenti nuper populo, præter an-
tiqui nominis umbram, reliquissent. His utrinque animis
ac fiducia concursum. Præerant Venetæ classi Carolus &
Andreas Danduli, viri impigri: hi, nulla re, quæ ad vi-
ctoriam pertineret, prætermissa, venientem hostem feroci-
ter excipiunt, exceptum magno animo sustinent. Anceps
oritur pugna, cædesque teterima, qualem in tam valida-
rum classium occursu oriri oportuit. Horrendæ voces &
clamor nautarum ac militum sese hortantium exaudiri:
strepabant omnia collistarum navium conflictu. Pugna cum
multa cæde aliquandi distracta: demum, fusis Venetis, fo-
dissima oritur strages: instare victor Ligur, omnia cædis
ac ruinæ complere. Venetarum rerum scriptores, præter
unum, reliqui omnes fatentur atrocissimam cladem ea pu-
gna acceptam, profligatamque ac prorsus deperditam clas-
sem: sed amissarum navium numerum quasi consulto sup-
primunt; ut merito suspicari possis, ex tanta classe, aut
navim nullam, quod incredibile est, aut quam paucissimas
evasisse. Unus, ut dixi, omnium rem aliquanto prolixius
tradidit. Ait ille, quod omnino ab aliis diversum est,
Genuenses in Corcyrensi portu a Venetis obseffos voluisse
naves omnes Dandulis tradere, si incolumes inde viros

1298
*Venetii ad
Corcyram
nigrum vi-
eti ingen-
tem cladem
accopere.*

abire